




# Selectarum disputationum historico-theologicarum quinta de Judaismo

<https://hdl.handle.net/1874/340876>



A, qu.  
192

Disputationes Academicae Trajecto  
ad Rhenum habita.

Annis 1637-1640.

Volumen I.

- N: 1. Johannus Breberenus. Disp: theol: sub pres:, de Judaismo. 2 Septemb: 1637.
2. Gasparus à Pantuys. Disp: iur: sub pres:, de Appellationibus. 13 Februar: 1639.
3. Florentius Schuylius. Disp: philos: 5<sup>ta</sup>, sub pres:, continens Positiones politicas et oeconomicas. 25 Maii 1639.
4. Gualterius de Bruyn. Disp: philos: public: de Malo, eo quod initum ac spontaneum est, et de motu siderium. 15 Decemb: 1640.
5. Marcus du Tour. Disp: hist: 1<sup>o</sup> sub pres:, ad textum Herodiani. 18 Septemb: 1641.
6. Marcus du Tour. Disp: polit: sub pres:, de optimo statu Republicæ. 17 Novemb: 1641.
7. Henricus Indoricus Wolffius. Disp: polit: sub pres:, de educatione et institutione Princium. 15 Decemb: 1641.
8. Marcus du Tour. Disp: hist: 4<sup>o</sup> sub pres:, ad textum Herodiani. 18 Decemb: 1641.

- N: 9. Marcus dū Tōir, Disp: metaph: 3<sup>e</sup>, sub præs; de  
causis. 19 Mart: 1642.
10. Joannes Hunnius, Disp: metaph: 3<sup>e</sup>, sub præs.,  
de Quastionibus proemialibus. 7 Sept: 1642.
11. Everardus de Weede, Disp: problem: 6<sup>e</sup>, sub præs, de  
Elementis. 28 Junii 1643.
12. Jacobus Lijstnerk, Disp: jür., publ: de Erictionibus.  
6 Febr: 1644.
13. Everardus de Weede, Disp: jür: 10<sup>e</sup>, sub præs., de  
Punctione et renditione. 4 Februar: 1644.
14. Marcus van de Voerde, Disp: jür: 6<sup>e</sup>, sub præs.; de  
secundis Nuptiis. 6 Mart: 1644.
15. Cornelius van Steenskerck, Disp: jür: 19<sup>e</sup>, sub præs.,  
de Locatione et emphitensi, ad tit: 25 Inst:  
lib: 3. 20 Mart: 1644.
16. Joannes Strick, Repetitio, sub præs; famoso  
Novi: 115 cap: 3 et 4. 1 Maij 1644.
17. Marcus dū Tōir, Disp: jür: 9<sup>e</sup>, sub præs.; de Pactis  
dotalibus. 6 Novemb: 1644.
18. Petrus ab Eynahoven, Disp: phys: 7<sup>e</sup>, sub præs.,  
de Meteoris in genere. 8 Febr: 1645.
19. Everardus de Weede, Disp: jür: publ: de Emphit:  
ensi. 11 Febr: 1645.
20. Petrus ab Eynahoven, Disp: ethica 2<sup>e</sup>, sub præs; de  
Virtutibus in specie, nominatim temperantia.  
26 Febr: et 1 Mart: 1645.

- N: 21. Cornelius Verrelst. Disp: ethica 3<sup>o</sup>, sub pres: de Virtute  
bis in specie, nominalium liberalitate et magnifican-  
tia. 19 et 22 Mart: 1645.
22. Petrus ab Eijndhoven. Disp: phys: 10<sup>o</sup>, sub pres: de  
Mineralibus in specie. 29 Mart: 1645.
23. Cornelius van Steenskerck. Disp: iur: publ: de Secun-  
dis Nuptiis. 29 April: 1645.
24. Petrus ab Eijndhoven. Disp: polit: sub pres: de Electio-  
nis et Successoris comparatione. 21 et 24 Maii 1645.
25. Gerardus a Nyendael. Disp: iur: publ: de Contratu-  
da eritio et renditione. 21 Octob: 1645.
26. Joannes Everardus Boestadius. Disp: med: publ: de  
Apepsia et bradipepsia. 1 Decemb: 1645. 55.
27. Petrus ab Eijndhoven. Disp: polit: sub pres: de  
Bello. — Mart: 1646.
28. Petrus ab Eijndhoven. Disp: pneum: sub pres: de  
Demonibus. 27 Iunii 1646.
29. Johannes Wilhelmus Weidnerus. Disp: polit: sub  
pres: de Iudicis iusti gradus, hoc est artificibus et  
opificibus. 10 Decemb: 1648.
30. Cornelius a Triell. Disp: theol: sub pres: de selectis  
quibusdam problematis. 20 Decemb: 1648.
31. Jacobus Hondius. Centuria questionum philosophi-  
carum, sub pres: 7 Mart: 1649.
32. Daniel Heygenus. Disp: theol: sub pres: in 1 Joann:  
11, 2 pars 1<sup>o</sup>. 14 Apr: 1649.

- N: 33. Matthias Smallegang. Disp: iur: 27<sup>o</sup>, sub præs: de  
Damno injuria dato. 9 Maii 1649.
34. Cornelius a Thiel. Disp: Theol: sub præs: de Precibus.  
pars 2<sup>a</sup>. 4 Iulii 1649.
35. Johannes ab Ewijk. Disp: polit: sub præs: de Job.  
ditis septimi gradus, hoc est agricolis et pastori.  
bis. 22 Junii 1649.
36. Georgius Timmerman. Disp: iur: sub præs: de  
Injuriis. 30 Junii 1649.
37. Johannes Coesveldt. Disp: iur: 28<sup>o</sup>, sub præs: de  
Injuriis. - Iulii 1649.
38. Petrus Domselaer. Disp: polit: sub præs: de subdi-  
tis octavi sive ultimi gradus, hoc est vulgo gen-  
plebe. 9 Iulii 1649.
39. Matthias Wermelskircher. Disp: polit: sub præs:  
de Rep: mixta est aristocratica et democratica.  
19 Septemb: 1649.
40. Johannes Neesmannus. Disp: metaph: sub præs:  
de conceptu spatiū localitatis, immensitatis etc.  
1 Decemb: 1649.
41. Johannes Jacobus Stanfeld. Disp: Theol: sub præs:  
de Illuminatione hominis. 15 Decemb: 1649.
42. Franciscus Borsaj Debrecinus. Disp: Theol: sub  
præs: de Historia sacra. 2 Martii 1650.

- N. 43. Rumoldus van Dam. Disp: iur: 30<sup>e</sup>, sub praes: de  
Diabolus reis. 1 Maij 1650.
44. Georgius de Raad. Disp: theol: 7<sup>e</sup>, sub praes: de Voto  
Iephiae. 1 Junii 1650.
45. Henricus d' Prie. Disp: phys: 3<sup>e</sup>, sub praes: de Insin-  
tatione generatione. 29 Junii 1650.
46. Petrus Arnoutz. Disp: iur: 36<sup>e</sup>, sub praes: de Probatio-  
nibus et praesunt: ad tit: 3, 4, 5 et 6 lib: 22 Pandect:  
6 Novembris 1650.
47. Wilhelmus Salinus. Disp: metaph: sub praes: de Facili-  
et difficulti. 30 Novembris 1650.
48. Nicolanus Viven. Disp: iur: 35<sup>e</sup>, sub praes: de Iponsa-  
tibus et nuptiis ad Tit: 1 et 2 lib: 23 Pandectarum.  
27 Novemb: 1650.
49. Arnoldt van Bassen. Disp: iur: 36<sup>e</sup>, sub praes: de  
Iure dotacionis, ad tit 3, 4 et 5 lib: 23 Pandectarum.  
2 Decemb: 1650.
50. Godefridus van der Schuer. Disp: iur: 37<sup>e</sup>, sub praes: ad  
lib: 24 et 25 Pandect. 11 Decemb: 1650.
51. Abrahamus van der Mast. Disp: pract: 5<sup>e</sup>, sub praes:  
de Historia egrorum, de Maria. 19 Febr: 1651.
52. Georgius Lamswerde. Disp: iur: publi: de Compensa-  
tionibus. 11 Mart: 1651.
53. Georgius Croock. Disp: iur: sub praes: de Testamentois  
ordinandis et infirmandis, ad tit: 1, 2, 3 et 4 lib: 28

pandect: 16 Aprilis 1651.

54. Nicolaus Goedemaeker. Disp: iur: 40<sup>e</sup>, sub pres: de  
Hæreditib<sup>s</sup> instituendis et substituendis, ad tit: 5, 6,  
7 et 8 lib: 28 pandect: 23 Aprilis 1651.
55. Petrus Domelaenius. Disp: theol: sub pres: de Reliquis.  
pars 2<sup>e</sup>. 7 Martij 1651.
56. Cornelius Blijenburg. Disp: iur: 36<sup>e</sup>, sub pres: de  
Usuris, fructibus et causa. 22 Octob: 1651.
57. Johannes ab Enyck. Disp: iur: 42<sup>e</sup>, sub pres: de Lega-  
tis et fiduciammissis, ad lib: 30, 31 et 32 pandect:  
12 Novemb: 1651.
58. Leonardus a Rijsten. Disp: metaph: sub pres: de  
Novitate essendi. 15 Novemb: 1651.
59. Willemus van der Meulen. Disp: iur: 35<sup>e</sup>, sub pres:  
ad lib: 33, 34 et tit: 1 lib: 35 pandect: 3 Decemb: 1651.
60. Joannis Versijde. Disp: iur: 44<sup>e</sup>, sub pres: de L-  
Falcidia et Icto Trubill: ad tit: 2 lib: 35 et lib:  
36 pandect: 10 Decemb: 1651.
61. Arnoldus Wils. Disp: med: præb: de Inflamma-  
tione hepatis. 17 Febr: 1652.
62. Casparus Fagel. Disp: iur: 37<sup>e</sup>, sub pres: de Eo quod  
interest. 25 Febr: 1652.
63. Jacobus a Gilemburch. Disp: iur: 39<sup>e</sup>, sub pres: de  
Solutione et depositione. 3 Mart: 1652.

1. 64. Joannes a Zuylen. Disp: iur.; sub pres.; de Transactione.  
bis. 10 Mart. 1652.
65. Henricus a Zuylen. Disp: med.; publ.; de Lethargo.  
30 Mart. 1652.
66. Baldinus Spiering. Disp: iur: 45<sup>o</sup>, sub pres.; de  
Bonorum possessionibus et collationibus, ad tit: 1, 2,  
3, 4, 5, 6, 7 lib: 37 pandect: 3 April. 1652.
67. Petrus Struloo. Disp: iur: 40<sup>o</sup>, sub pres.; de Compensa-  
tione. 7 April. 1652.
68. Jacobus van den Hulm. Disp: iur.; sub pres.; de Em-  
phytensi. 7 April 1652.
69. Cornelius Blijenburgh. Positiones, sub pres.; de  
Nuptiis et tūtelis. 28 April 1652.
70. Gasparus Fagel. Disp: iur.; sub pres.; de Legitima.  
12 Maij 1652.
71. Franciscus Hermanus Montanus. Disp: iur: 41<sup>o</sup>, sub  
pres.; de Acceptatione et novatione. 19 Maij 1652.
72. Joannis Berlingh. Disp: philos.; publ.; continens  
varias, propter quadriplicem et quadriplici Phi-  
losophica parte prescriptam materiem, in hoc phi-  
losophantium circa agitari solitas controversias.  
24 Maij 1652.
73. Tielmannus a Brugge. Disp: theol.; sub pres.; de  
Patronatibus, tūtelis et protectiōnē Sanctorum.


26 Maij 1652.


- N. 76. Rimoldus Mode. Disp: iur: ferd: 1<sup>o</sup>, sub præs; ad method: Ferd: Bronchorst. 2 Junij 1652. (inter N. 82 et 83).
75. Georgius Ripperda. Disp: iur: sub præs; de iuris dictione. 2 Julij 1652.
76. Franciscus Hermanus Montanus. Disp: iur: 1<sup>o</sup>, sub præs; de Titulis. 7 Julij 1652.
77. Joannes Fichlani. Disp: iur: publ: de Legatis. 30 Septemb: 1652.
78. Gerardus Italina. Disp: phys: 2<sup>o</sup>, sub præs; de Physica in genere. 13 Novemb: 1652.
79. Wilhelmus Metzger. Disp: med: publ: de Pleuritide. 29 Novemb: 1652.
80. Lucas van de Poll. Disp: iur: 5<sup>o</sup>, sub præs; de Curatoribus. 8 Decemb: 1652.
81. Johannus van der Straten. Disp: iur: 47<sup>o</sup>, sub præs; ad tit: 1, 2, 3 et 4 lib: 39 pandect: 10 Decemb: 1652.
82. Joannis Everardus Boestadiensis. Disp: ethic: 5<sup>o</sup>, sub præs; de Gradibus virtutum et vitionum, nominatim de speciebus incontinentiae secundum quid, ex 5 et 6 capp: 7 Ethic: Mart: 1653.
83. Johannus van der Straten. Disp: iur: publ: de Nutrictis. 21 Junii 1653.

- N: 84. Simon van Soest. Disp: iur.; sub pres.; ad Leg: 3<sup>e</sup>: de  
Collationibus. 14 Junii 1654.
85. Lucas van de Poll. Disp: iur.; publ.; de Sictionibus.  
26 Octob: 1654.
86. Antonius van Voorst. Disp: iur.; publ.; de Compon-  
tatione. 27 Octob: 1654.
87. Wilhelmus Schrijvijl. Disp: iur.; sub pres.; ad Leg: 2<sup>e</sup>: leg: Cornel: de Tocarnis. 2 Maii 1655.
88. Franciscus Bauter. Disp: med.; sub pres.; de Altitu-  
ra et actionibus illi ministrantibus. 16 Maii  
1655.
89. Gideon Deitza. Disp: phys.; sub pres.; de Natura  
et origine fontium. 20 Junii 1655.
90. Joannes de Kerhinet. Disp: theol.; sub pres.; de  
Sanctificatione et glorificatione. 4 Iulii 1655.
91. Wilhelmus Isaacus Hethemus. Disp: theol.; sub  
pres.; ad locum 1 Tim: 3,15 pars 3<sup>a</sup>. 26 Mart: 1656.
92. Franciscus van der Lee. Disp: iur.; publ.; de  
Acquirendo rerum domini. 2 Octob: 1656.
93. Carolus Parmentier. Disp: iur.; sub pres.; continent  
Iuris civilis questiones. 6 Novemb: 1661.
94. Gerardus van Nie. Disp: iur.; sub pres.; in qua  
Rescripto Imp: Hadriani quod est in f: 153 D.

ad leg. Corin: de Iesuariis, etiam in tit. 1 collat. leg:  
Mos: et Rom: lectio et sententia explicatur.  
26 Junij: 1681.

- N: 95. Henricus van Galen. Exerc: philos: sub pres: de  
Officio Philosophiae circa revelata. 2 Novemb: 1681.
96. Jacobus Vervelst. Disp: iur: in: de Cognitionibus.  
22 Aug: 1689
97. Arnoldus de Blankendael. Disp: theol: sub pres:  
de eterna Christi sponsione, pars 1<sup>a</sup>. 4 Junij: 1690.
98. Arnoldus de Blankendael. Disp: theol: sub pres:  
de eterna Christi sponsione, pars posterior,  
6 Junii 1690.
99. Nicolaus Snouck. Disp: phys: sub pres: de  
Mundi duratione, pars 1<sup>a</sup>. 4 Junii 1690.
100. Jacobus de Vries. Disp: philos: in: publ: de  
Religione. 5 Junii 1690.





A. 42192  
1.  
SELECTARUM DISPUTATIONUM  
HISTORICO-THEOLOGICARUM

QUINTA

# DE IUDAISMO

QVAM  
Favente Deo Opt. Max.

SUB PRAESIDIO

*Reverendi, clarissimi, doctissimique viri*

D. GISBERTI VOETII, S.S. Theolog. Doct.  
eiusdemque Facultatis in inlyta Acad. Ultraject. Professoris  
ac in Ecclesia ibidem Pastoris vigilantissimi

*Publicè defendere conabitur,*

JOHANNES BREBERENUS vanden Dijck Aquisgran.

*Ad diem 2. Sept. styl. vet. Horis, locoque solitis.*



ULTRAIECTI,

Ex Officina ÆGIDI & PETRI ROMAN  
Academæ Typograph. Anno 1637.

*Prudentissimis, doctissimis, præstantissi-  
misque viris,*

D.D. Omnia facultatum, in  
inclytâ Ultrajectinâ Academiâ Pro-  
fessoribus.

NEC NON

*Reverendis, & insigni eruditione ac pietate  
conspicuis viris*

D.D. in Ecclesia Ultrajecti-  
na Pastoribus.

*Hasce theses in Debiti honoris  
Symbolum & observantia monu-  
mentum,*



Dedicat & offert

JOHANNES BREBERENUS  
van Dijck, Resp.

*Apostasie à vero cultu Dei non una est species. Ut antiquiores præteream, vigent hodie etiamnum 1. Atheismus & Epicureismus. 2. Magia. 3. Ethanicismus 4. Libertinismus, ad quem refer Semi-Libertinismum Cornherti. 5. Iudaismus & Semi-Iudaismus. 6. Mahometismus. 7. Neo-Arianismus, aut potius Socinismus; cuius cognata sunt Anabaptismus & Remonstrantismus. 8. Papismus. Nos reliquorum explicatione in alias occasiones reservatā, delineabimus nunc solum Iudaismum, ut juniores ad tanto faciliorem hujus causæ cognitionem manuducamus. Exhibebimus autem 1. Eclogam historicam de statu Iudeorum, quis & qualis ille sit. 2. Consilium theologico-politicum de procurandâ ipsorum conversione. 3. Usus hujus tractationis indicabimus.*

### THEISIS I.

  
Vid ad primum, præcognoscendum statum Iudeorum considerari posse vel ante adventum Christi, vel post. Illius initium ducitur à vocatione Abrahāmi, tum enim Deus cœpit separare sibi hunc populum; ejusque quatuor constituti possunt intervalla. 1. Ab Abrahāmi vocatione usque ad exitum ex Ægypto. 2. Inde usque ad Templi Solomo-

nici ædificationem. 3. Inde usque ad redditum ex captivitate Ba-  
bylonica. 4. Inde usque ad Christum. Historiam trium priorum  
habet scriptura veteris Testamenti; ad cuius illustrationem sym-  
bolam suam conferre conati sunt ex Judæis Fl. Iosephus, Iosephus  
Pseudo-Gorionides, Scriptores Thalmudici & Rabbini commen-  
tatores: ex Christianis vero Sulpitius Severus in Historia Sacra,  
Arias Montanus in antiquitatibus, Pineda de rebus Solomonis,  
Ribera de Templo, imprimis scriptores de Republ. Iudaicæ Sigon-  
nius, Bertramus, Zepperus, Cunæus, Schickhardus; adhæc chrono-  
logico-historici Eusebius in Chronico, Melanthon, Scaliger,  
Torniellus, Salianus, Gordonus, Iac. Capellus &c. Deniq; com-  
mentatores qui philologica & antiquitates ex professo explicant,  
quales Fagius, Mercerus, Drusius, Tremellius, Broughtonus,  
Ainsworthus. Si quis compendiosam status hujus populi descri-  
ptionem desideret à redditu ex captivitate usque ad eversionem  
templi secundi, adeat is tractatum Pauli Eberi, qui etiam gallicè  
& belgicè editus est, cum tract. Iohannis Crispini de Statu Eccle-  
siae. Statum Iudeorum post Christum in duo intervalla distribui-  
mus, Prius est a nativitate Christi usque ad eversionem templi,  
quod præter Scripturam N. T. illustrarunt Fl. Iosephus, Histori-  
ci Ecclesiastici Eusebius, Sulpitius Severus, & ex recentioribus  
Melanthon, Baronius cum Antagonistis, Iacobus Capellus &c. Si  
quis compendio studeat, cognolcat ejus ideam ex Alexandri Ca-  
pelli Historiâ apostolica, & compendio h: storia Iudaice, quæ edita  
cum Myrothecio Cameronis. Posterius intervallum est ab eversio-  
ne templi usq; in hunc diem aut usq; ad generalem ipsorum conver-  
sionem. Cujus articuli melioris doctrinæ causâ constituentur tres.  
Primus ab everso templo usque ad absolutum & receptum Thal-  
mud, annum scil. Christi 500. Secundus inde usque ad celebrem  
Doctorem R. Mose ben Maymon, annum scil. Christi 1131.  
Tertius, usque ad nostra tempora. Hujus intervalli res Iudaicas  
complexum est Chronicon Hebræum majus, à Genebrardo tran-  
slatum & editum. Unde authores Christiani ut & ex commenta-  
toribus Thalmudicis, aliisque Rabbinicis sua hauserunt, quæ in  
chronicis

chronicis annotarunt, quales Arn. Pontacus Burdegalensis, Jacob Capellus, Helvicus, & Michael Neander, sed quem videre non dum contigit. Statum apostatici & novelli hujus populi quod ad mores, & ceremonias ex professo nobis pandit Ioh. Buxdorf. in Synag. Iudaicā Maximo virorum Scaligerō tantopere laudatā, epistol. ad Buxdorf. Institutioni ejus epistolice p̄rmissa. Cum qua conjungenda ejusdem Buxdorfi institutio epistolica, Liber de abbreviaturis & biblioth. Rabbiniaca, Tiberias, & si quē sparsim in epitome radicum & lexico Schindleri annotantur. Nec p̄ttereunda, quæ Antagonistæ Iudæorum nobis citati in Disput. de *Adventu Messie* &c. obseruantur. Imprimis etiam memorandus M. S. tractatus Italicus R. Iuda de Modena etiamnum hodie archisynagogi apud Venetos, de doctrina, moribus, & ceremoniis Iudæorum, quem cum aliis rarioribus scriptis & observationibus liberaliter utendum mihi dedit Eruditiss. & amicissimus vir Andreas Colvius, qui cum ante annos aliquot Illustri & Magnifico D. Berckio Belgij Foederati apud Venetos Legato à sacris concessionibus esset, cimelia ejusmodi nunquam non satis laudando conatu & judicio Venetiis & in vicinis Italie locis undique conquisita in Belgium ad nos asportavit. Eum tractatum percurrentes didici in rebus Iudaicis nonnulla, quæ apud alios ita non occurunt. Sunt qui tres status Iudæorum constituunt, *Ammi, lo Ammi, ruchama*: sic Weemsius à Lathocker in tract. anglico *de quatuor filiis degeneribus*. Ille est ab Abraham usque ad rejectionem Iudæorum. Iste usque ad generalem conversionem. Hic, deinceps: De Tertio statu restitutionis egimus Disput. de Conversione Iudæorum. De primo nunc agere non visum est, sed tantum de secundo, statu scil. destitutionis seu rejectionis.

## II.

Statum rejectionis inchoamus non à tempore prædicationis Apostolicæ (quamvis post oblaci Euangelij repudium ipso fuerint rejecti Rom. 9. 1. 9. & cap. 11. vers. 1. 2. 3. 4. Actor. 13. 46. 51. Apocal. 2. 9. & 3. 9.) sed ab eversione templi, tunc enim ipso facto & arguento irrefribili, sacrificia eorum abolita, splendor

Ecclesiæ & politiæ omnis sublatus, & consummata totalis eorum  
rejectio. Finimus autem statum illum die hodierno, aut, si mavis,  
tempore generalis conversionis; siquidem interea manente velami-  
ne, quod ad essentiam Iudaismi aut partes primarias pseudo-reli-  
gionis, & consequenter miserrimi eorum status nulla exspectanda  
est mutatio: sed relinquetur dominus ipsorum deserta &c. Math.  
23. 38. 39. cum 2 Corint. 3. 14. 15. 16. & 1 Thess. 2. 16. Porro  
de subjecto, causis, antecedentibus, consequentibus, circumstan-  
tiis, & adjunctis hujus rejectionis, non est quod operose agamus.  
Habent nonnulla studiosi in Disput. de Conversione Iudæorum:  
si quid desit ex S. literis facile supplebunt. Nos solammodo hy-  
pothesibus nonnullis præmissis, qualitatem & quantitatem abje-  
ctionis considerabimus. Sunt autem hypotheses istæ. I. Iudæi sunt  
rejecti, nec sunt amplius populus Dei peculiaris, sive politicè, sive  
ecclesiastice Math. 23. 38. Rom. 9. 3. 32. 33. & 10. 3. 19. 21.  
& 11. 7. 8. 9. 10. 15. 21. 22. 23. 28. Apocal. 2. 9. Eratque hoc  
prædictum à Prophetis, ex quibus apostolus loc. cit. & hodierni  
Antagonistæ Iudæorum hanc veritatem evincunt. II. Sunt re-  
jecti imprimis & ἐξαιρέτως propter repudium Euangelij & perse-  
cutionem Christi & discipulorum ejus 1 Thesal. 2. 15. 16. cum  
Math. 23. 36. 37. 38. Itaque cum latentur propter peccata sua  
hanc captivitatem sibi obtingere, cogitent quodnam sit tam diu-  
turni exilio causa, quodnam, inquam, peccatum quod omnia ma-  
jorum peccata Ies. 1. Ierem. 2. & 3. Ezechiel 16. recensita longè  
exsuperet, quippe 16. poene sæculorum miseria multatum, cum  
majorum abominationes tantum captivitate 70. annorum vindic-  
cabit Deus. III. Rejectio est finalis & irrevocabilis, donec con-  
vertantur ad Christum Math. 23. 39. 1 Thesal. 2. 16. IV, Præ-  
suppositum & antecedens hujus indurationis & rejectionis Iu-  
dæorum est liberrimum sanctissimumque Dei decretum ac bene-  
placitum, secundum quod peccata illorum & olim & etiamnum  
hodie permittit, eos in peccatis deserit, & propter peccata justif-  
simè temporalibus & spiritualibus malis punit Roman. 11. 7. 8.  
9. 20. 32. 33. 34. 35. 36. cum cap. 9. verf. 6. 18.

Quali-

## III.

Qualitas & quantitas hujus miserrimae rejectionis perspicitur in statu eorum Ecclesiastico & Politico. In statu ecclesiastico considera 1. Fidem seu sensum eorum de religione, hoc est, de Deo & cultu Dei. 11. Praxin & pietatem. Quod ad fidem & sensum, is totus est corruptus, & nil nisi mera perfidia & apostasia: Quia 1. Principium genuinum fidei non habent; repudiato enim novo Testamento unico & *λεοντυδσω* veteris commentario substituerunt illi *תורה שבעל* i.e. *legem oralem*, traditiones scil. Thalmudicas, quas æquiparant immo & præferunt Veteri Testamento, hujusque sensum atque explicationem irrefragabilem ab illis suspendunt & in gratiam earum scripturam imperfectionis, obscuritatis, contradictionis accusant Buxdorf. Synagog. p. 44. 45. 46. Hinc ipsis *fundamentum legis scripta est lex oralis* R. Bechai in *Cad Hakemach* fol. 77. col. 3. Similia occurrunt in libro *Misbeach hassabat* cap. 5. Hæc religionis *fundamentum potius est quam lex scripta*, nam propter eam *initum est fædus Dei cum Israelitis*, R. Isaac Corbelensis in *Ammude gola* fol. 39. Et studium Thalmudicum longè præfertur studio scripturarum In *Bava Metzia* fol. 33. 1. & *Berachot* fol. 28. 2. & *Chagiga* fol. 10. 1. Quia *devitiputis* est à Mose æque ac lex *Berachot* fol. 5. 1. *Targum Cantic.* 1. 2. & qui studet Thalmudi *vocatur sanctus*. *Iebammot* fol. 20. 1. Et qui illi credit, perinde est ac si crederet Deo In libro *Chaskuni* fol. 94. Et qui Thalmudicas traditiones dicit, persuasus esse debet, se futurum filium vita æterna, *Nidda* fol. 73. Quin & ipse Deus interdiu studet in bibliis, & nocte in Thalmude, *Targum Cantic.* 1. v. 2. Ut habet editio Veneta, & Osvaldi Screckenfuchschij in 8. seorsim edita: quamvis verba illa omiserint Biblia Regia, & Basileensia Buxdorfi. Nec tantum Thalmudi, sed & Rabbinorum suorum oraculis seu responsis, concessionibus, mysticis expositionibus parem autoritatem tribuunt; quibus fidem adhibere necesse est æque ac Moysi, etiam si res incredibilis proferrent, & de manu tuâ dextrâ dicerent quod sit sinistra, & viceversa. R. Isaac Abhababhi in libro *Menorat Hammaor*, Thalmud in tract. de Sabbatho cap. 2, R. Se-

lomo.

Iemo Iarchi in Deuteron. 17. 11. Et quisquis hoc ipsum non fecerit, is in inferno gravissimè punietur, in calidâ scil. bullientique zoah i. excremento, ut hæc aliaque fusæ ex ipsorum sanctiōibus probat Buxdorfius pag. 67. 68. 69. 2. Quia articulos περιττο-fundamentales, de Trinitate, de Messia persona, officiis, adventu, non tantum tollunt tredecim articulis suis à Moyse Ægyptio conceptis (de quorum explicatio Buxdorfi. synagog. Iudaic. c. 1. Et Munsterus de Fide Iudæorum, qui tractatus editus cū Euangelio Hebraico Mathei) ut & disputationibus suis passim; sed insuper horrendis blasphemias conspurcant. Sic ex. gr. ad nomen Iesu ter in terram exspuunt dicentes מוחשׁ id est, deleatur nomen ejus; vocant illum שׁת id est, suspēsum, שׁקר ותעבה i. mendacium & abominationem, וְמֹר i. Deum alienum; & in precibus suis quotidianis mane & vesperi וּרְקֵבֶל i. vanitatem & stultitiam, & qui non possit salvare. Esau animam dicunt migrasse in Christum, & cogi eum festo (quod vocant) natalicio perreptare omnes cloacas; Mariam esse immundam, meretricem &c. Christum esse falsum prophetam, impium, torqueri in inferno. Vide hæc mysteria detecta à Munstero in scholiis ad Math. 1. & à Buxdorfi in abbreviaturis, in 1. & 2. & in Epitome radicum in voce יְהִי, & in Synag. Iudaic. p. 69. 165. & postea à Christoph. Helvico Elench. Iudaic. 8. Denique Euangelium nostrum quibusvis excogitatis cōmentis & dictioris exagitant, ut videre est in Nizachon R. Lipman, quem Munsterus magnam partem refutavit in scholiis ad Matheum hebraicum: immo & sarcasticè vocant אונג'ליאן id est, revelationem vanitatis, & עז'נ'ז'ונ'ע id est, defelctionem iniquitatis, Munsterus ibid. Pariter reverentiā Christianos, eorumque Ecclesiās, Politias, & Magistratus excipiunt, ut videre est apud authores cit. 3. quia articulos alios fundamentales qui ex primis modo memoratis dependent miserè corrumpunt. Negant vim peccati originalis, prædestinationis.

stitutionem divinam , & justificationem gratuitam ; contra affe-  
runt liberum arbitrium & perfectionem operum , merita , & satis-  
factiones suas ( R . Iuda de Modena tract . M . S . cap . 49 . 50 . 51 . 52 .  
53 . ) Cumulus desperate doctrinæ est in confessione & precatio-  
ne emortuali in quâ Rabbini ipsis præeunt : *Si vero tempus mortis  
mea appropinquavit, tum mois illa mea sit remissio peccatorum meorum  
omnium &c. fac ut partem habeam in paradyso, nec non sæculo futuro  
&c.* Buxdorf . synag . cap . 35 . Similem desperationem affectant mi-  
seri , cum in festo expiationis super gallo solenniter mactando hæc  
verba ter pronuntiant : *Gallus hic commutatio erit pro me, hic in lo-  
cum meum mortem promerni succedit, hic erit reconciliatio mea, hic mor-  
rietur pro me, ego vero in vitam bonam cum populo Israëlico toto in-  
troibo.* Amen . Ibid . c . 20 . Et cum subinde crudeliter mactant libe-  
ros Christianorum sauguine eorum excepto & distillante in mun-  
dum linteum , moribundi se obliniunt additis his verbis : *Siquidem  
Iesus sit verus Messias, sanguis huius innocentis, qui in fide Christi mor-  
tuis est, proficit tibi ad vitam æternam.* Hunc usum sanguinis puerorū  
Christianorum , quem tantopere sitiunt & torties hauserunt Iudæi ,  
indicavit Iudæus quidam Ratisbonæ baptizatus referente Mich .  
Neandro apud Abrah . Mellinum in Martyrologio : Cujus fide  
hæc cito , nam ipse librum Neandri non vidi . Nec prætereundi  
articuli , de abrogatione legis ceremonialis , de creatione mundi , de  
angelis bonis & malis , de homine ejusque procreatione , de statu ani-  
marum post hanc vitam , μετεπέλυψις Pythagoricā , & purga-  
torio , de resurrectione , de terreno regno Messia , de paradyso , de  
inferno &c. circa quos ἀτωνα & diliria eorū ex R . Iuda de Mode-  
na , aliisque recentioribus sigillatim recensere non fert angustia  
thesium , nec est operæ pretium . Studioſi magnam partem ea suis  
oculis videant aliquando in crambe Rabbinicā R . Menasse ben Is-  
rael , ex quo accuratè & fideliter omnia fere enotavit superiori an-  
no doctiss . quidam juvenis in Disputatione sub præſidio nostro ha-  
bitâ . Adjungi poterit Buxdorfij Synagoga Iudaica , aut Abrah .  
Coſterus , aut Helvici Elenchi Iudaici , aut Pageti scriptum adver-  
sus Brownistas , aut ſimilis author , ſi quis ad manum fit . 4 . Quia

M m m m

infusis

insulsis fabulis, commentis glossis, deliriis totam Theologiam pa-  
sim contaminant. De quibus authores modo cit.

IV.

Atque hæc quidem ratio fidei eorum. Praxis, observatio, & pie-  
tas non minus corrupta est, necesse enim ex tam malâ arbore pef-  
fimos fructus produci. Actus religionis seu pietatis solent vulgo  
distingui in elicitos & imperatos, quorum illi pertinent ad pri-  
mam legis tabulam, isti ad secundam. Illi sunt partim cultus Dei  
naturalis, partim institutus; rursum vel internus vel externus. Fi-  
duciam ergo & spem in Deum, caritatem timorem, honorem &c.  
erga eundem, ut & invocationem nominis divini in cultum homi-  
num, in meram hypocrisim & ostentationem exemplo Pharisæo-  
rum (Math. 6. & 23.) converterunt. Quod docent ipsorum *Tephil-  
lim* seu fasciæ oratoriæ de quibus Buxdorf. cap. 6. Præterea super-  
stitionibus innumeris stultis, profanis, ridiculis, carnalibus, præ-  
fertim Magiæ suâ & divinatione tum directâ tum indirectâ omnia  
profanant, adeo ut vir Dei Lutherus non inconcinnè dixerit: *In-  
daum scatere tanto superstitionum diabolicarum cumulo, ut numerum  
pilorum de novem vaccis longè excedat.* Referente Helvico Elench.  
8. quæst. 3. Nec mirum. Ianuam n. Magicis artibus aperuerunt  
pseudo-Philosophemata eorum Thalmudica & Cabalistica, ut no-  
tavimus in Disput. de Magia part. 1. thes. 5. nec dissimulare id po-  
tuit. R. Mose ben Maimon, in More Nebuchim part. 1. c. 62. Do-  
cumenta autem Magiæ Iudaicæ præter experientiam perpetuam  
sunt tum munera in die reconciliationis diabolo dari solita, Bux-  
dorf. p. 420. tum liber Schimmusich *Tebillim*, additus psalmis Davi-  
dis in 32. excusis, ubi totum psalterium in usum pene magicum  
convertitur; & alter liber dictus *Rafiel*, plane cabalisticus & magi-  
cus. Adde tam multiplicem divini nominis abusum, & profanam  
verbi divini detorsionem ad εθελοθρησκείαν & carnales ritus, cere-  
monias, vacuas observationes contra & supra legem Mosis populo  
imponendas; de quibus consulendus Buxdorfii tractatus, si quis  
justum indicem & compendium querat. Hinc Iudæorum profa-  
nus, Epicureismus, & Libertinismus, quem imprimis produnt,

cum

cum Christianæ aut alterius religionis larvam non raro induunt, (si modo dolosi spes affulserit nummi) & mox ad vomitum redeunt. Atque hæc quidem vitia in excessu magis. In defectu sunt ista. 1. quod in cognitione, etiam prætentæ suæ religionis, plerique sint admodum hospites. 2. quod tota ipsorum devotione & cultus divinus, sit purum putum opus operatum. 3. quod nimis audacter solvant legem, quam dicunt divinam, mulieres suas ad nulla præcepta affirmativa, quæ tempus præfixum habent, obligant, R. I. de Modena c. 32. Buxdorf. Synagog. p. 149. 353. 4. quod, nulla secundum legem Mosis, quam jactant perpetuam, nunc habeant sacrificia externa, imprimis propitiatoria; deest enim ipsis templum seu locus, deest ignis de celo, desunt & sacerdotes: ut enim omnium aliarum tribuum ac familiatum genealogiq; sunt desperditæ (fatten te R. Iuda de Modena cap. 8.) sic etiam sacerdotum & Levitarum, quod volens nolens idem Rabbinus ibid. satis fateri cogitur: Sacerdoti, inquit, è Leviti dicono haver servato la lor genealogia: ma al presente non ha preminenza alcuna, se non effer primi in cerce ceremonie &c. Cautè sanè. Et tamen auti sunt motu proprio instituere abominandum illud sacrificium galli gallinacei, de quo Buxdorf. cap. 20. 5. quod, si quis votum aut juramentum fecerit, possit in eo dispensare præcipuus aliquis Rabbinus, aut tres Indæi non-Rabbini: de quo ritu R. Modena c. 12. 6. quod, Sabbathum æternum illud pactum (ut volunt) multis modis profanent deliciando, helluando, & carnalibus voluptatibus se totos immergendo, Buxdorf. p. 258. 262. 268. Quamvis alioquin stolidè præcisus obliuationibus suis sanctificationem ejus præ se ferant. Nugas autem illas vide apud Buxdorf. cap. 10. & 11.

V.

Quod ad actus religionis imperatos, hic multis modis impietatem suam produnt, adeo ut illis convenient hypotyphosis & descrip<sup>t</sup>io illa apostolica Rom. 1. à v. 28. usque ad finem & cap. 3. v. 9. usq; 19. Odium, injustitiam & crudelitatem adversus Christianos & spirant & profitentur, & quandocunque possunt, reipsa exerunt. Perpetuo iis maledicunt, de quo Helvicus Elench. 9. vitæ & fani-

tati eorum infidias struunt veneficiis & clanculariis latrociniis suis  
quod in regno Galliae factum anno 1320. ubi venena & pestem,  
quantum in se erat , disseminabant. Aliquoties pueri Christiano-  
rum surrepti ab illis in odium & contemptum Christi crudeliter  
crucifixi sunt, nonnullorum carnes in mortario contusæ. Tristissima  
exempla in Iudæâ, Hispaniâ, Germaniâ, Galliâ, Angliâ an. 415. 146.  
177. 1236. 1249. 1282. 1288. 1290. 1298. 1475. reperies in  
Annalibus Baronij, chronologia Calvisij, Martyrologio Mellini, &  
historicis atque authoribus ibidem citatis. Nec prætereundum,  
quamvis heterogenes immanitatis Iudaicæ exemplum perpetra-  
tum sub Trajano in insula Cyrene , de quo Dion, & ex eo Rhodi-  
gin. lib. 5. c. 9. Carolus Calvus anno 877. & Ioachimus Elector  
Brandenburgicus anno 1571. à Medicis Iudæis & familiaribus ve-  
neno sublati sunt. Fraudes, injuriæ, πλεονεξίαι, rapacitates, usuræ,  
calumniæ , quibus assiduo Christianos infestant , neminem latere  
possunt, nisi qui nunquam viderit Iudæos, aut fando nunquam au-  
diverit quid sit Iudæus. Ab initio nascentis Ecclesiæ fuerunt pro-  
ditores & alastores Christianorum, & calumniis ac concitatis jur-  
giis Gentilium persecutioni illos tanquam tumultuosos exposue-  
runt, A&tor. 9. & 13. & 14. & 18. & 21. & 23. & seculo proximè se-  
quentis , ut ad Tertull. lib. ad Scapulam recte obliterant Albaspi-  
nus, & Ioh. Ludov. à Cerdâ Miscellan. c. 126. n. 27. Et certe  
aliud nil possunt Iudei per legem suam Thalmudicam, quæ docet  
eos precatrices execratorias in Christianos, eorundem Politias &  
Magistratus quotidie fundere & dominium in illos suos ac Dei  
inimicos exspectare, affectare. Buxdorf. p. 170. 171. 172. 173.  
Non esse peccatum si Iudæus Christianum occidat, si adulterium  
committat cum ejus uxore, si ejus bona furetur, rem perditam re-  
tineat &c. ut partim ex Thalmudistis partim ex aliis Rabbinis  
probat Christianus Gerson, & post illum Helvicus elench. 8. Y.  
Non esse testimonium dicendum coram Magistratu pagano con-  
tra Iudeum, nec hunc ad solutionem pecuniæ testimonio illo adi-  
gendum. Secus qui fecerit , anathemati subiectum. Hanc enim  
inter 24. causas anathematis recenset Maymonides Hilchoth Thal-  
mud Therah cap. 2, Omnia peruria , juramenta , vota, datam fi-  
dem &c.

dem &c. quæcunque per totum annum præstentur à Deo irritari  
credunt quotannis in die Expiationum , ne Iudeo in fraudem ce-  
dant. Sic enim habet precatio in libr. *Machzor haschana* fol. 156.  
quam exhibet loc. cit. *Helvicus*. Et sane omnibus perjuriis, dolis,  
& fraudibus applicari potest genuina illa panacea *aquivocationis*, &  
*mendacii officiosi*, quam suggerit & defendit R. Menasse ben Israel  
Conciliat. in Genes. qu. 37. Constat ergo de perfidiâ, crudelitate,  
avaritiâ Iudaicâ. De infatibili ipsorum libidine præter experien-  
tiā nullum melius testimonium, quam Gemara Thalmudica tra.  
Sanhedrin cap. 8. ubi sic verba habent : *R. Isaac docet, ex quo tem-*  
*pore templum destrutum est, ablatus est נָאָב בְּנֵי יִשְׂרָאֵל id est, sapor ve-*  
*neris, & datus est peccatoribus.* q. d. Aquæ furtivæ dulces sunt, &  
panis clandestinus suavis est. Quæ verba adducit, ut probet con-  
jugium non posse ipsis sufficiens remedium esse libidinis. Adde  
quod polygamiam etiamnum tradant, teste R. Iuda de Modena  
cap. 33., quamvis , inquit, in Italia Germania non solent plures ducere  
quam unam (procul dubio ob leges Christianorum) nisi in casu quā-  
do ex uxore non suscipiant liberos : tunc usitatum est in Italia licentiam  
impetrare à Papa. Vigent etiam inter ipsos divertia , ob quamcum-  
que occasionem (ut ibid. loquitur R. Modena) modo mulier consentiat.  
Quanti sint amatores rei venereæ , prodit R. Modena cap. cit. ubi  
ait, eos qui ultra annum 20. vivunt sine uxore , vivere in peccato :  
& quod de celebratione Sabbathi ex libro *Orach Chaim* habet  
Buxdorf. cap. 10. p. 268. & pudet hic referre:

#### V I.

Ex quibus omnibus concludimus Iudeos esse avaritiae, libidinis,  
gulæ, superbie, mendaciorum, injustitiae, odii, invidie, vindictæ  
miserrima mancipia : breviter *ventrem* esse ipsorum Deum, totam-  
que illorum probitatem nil nisi carnale studium, abominandam hy-  
pocrisian esse, omnia ipsorum bona (quæ vocant) opera , esse splen-  
dida peccata ; adhæc universum fidei , religionis , & pietatis cho-  
ragium ac larvam esse coecitatem , perfidiam , Atheismum & Epi-  
cureismum, apostasiam, Magiam & superstitionem, blasphemiam,  
Dei odium, carnalem, servilem & terrenum cultum ; quia alia sub

forma, alio modo, alio fine colunt, quam coli vult; breviter contra  
primum decalogi præceptum alienum Deum habent, & quæ ac Gentiles,  
Mahumeditæ, Manichæi &c. nec minus ac Gentiles possunt  
dici & hec, & Deum a/s vtre Ephes. 2. 12. 13. 1 Thessal. 4. v. 5.  
Quod porro probatur 1. quia prætenſa istorum religio, (re ipsa blaſphemia,  
perfidia & apostasia) dicitur a πειθαι Rom. 11. 31. 32. &  
illi avertunt veritatem, sunt polluti, infideles, Deum factis abne-  
gant; ad omne opus bonum sunt adōnius. Tit. 1. v. 10. 11. 14.  
15. 16. 2. quia prætenſa ipsorum ecclesia seu synagoga, dicit &  
synagoga Satanæ Apoc. 2. 9. & 3. 9. illiq; dicuntur ex diabolo, non  
minus ac progenitores eorum Ioh. 8. 44. 3. quia Iudæi non placent  
Deo 1 Thessal. 2. 15. 16. Ioh. 8. 24. 34. nec illi sunt populus Dei, nec  
ipſe est Deus eorū, nec Deus patrū ipsorū: nam Paulus cū Christianis  
secundum fidem Christi serviant illi πατρῷ Deo Act. 24. v.  
14. Iudæi autem huic fidei adversantur, ergo, quidquid præten-  
dunt, aberrant à via qua pervenitur ad Deum patrum Rom. 10. 3.  
& 11. 7. 4. quia nec possunt placere Deo, quamdiu Iudæi sunt;  
ratio est quia sunt indurati, in reprobum sensum traditi, excœcati  
Rom. 11. 7. 8. 9. 10. inimici Dei v. 28. & quidem usque ad finem  
occupat eos ira Dei 1 Thessal. 2. 16. Multa huc conferri possent  
sed non est operæ pretium; cum Clariss. & piissimus Christianæ re-  
ligionis assertor D. Vedelius nuper in tract. de Deo Synagogæ ex  
scripturis consentiente antiquo & hodierno Christianismo contra  
noſtri ſæculi profanas novitates, & libertinismos accuratissimè  
vindicaverit istas theſes 1. Iudæos non colere verum Deum, crea-  
torem cœli & terræ, Deum Abrabami, Isaaci, Iacobi &c. lib. 1. c. 6.  
11. Iudæos in ſua religione extra fidem Christi pīcs eſſe non poſ-  
ſe, cap. 7. 111. Iudæos non habere fidem, ex qua pietas eorum  
promanet. 11v. Iudæos non poſſe dici amicos Dei. ibid. Adver-  
ſariorum objectiones & exceptiones ejusdem tract. lib. 2. ſolidè  
diluit, & ad perpetuam ἐχεμυθίαν (niſi me fallit animus) non mi-  
nus rediget ac ſecundā, tertiā & quartā parte Arcanorum Armi-  
nianismi. Nihil ergo reſtat quam ut more ſuo abjecta haſta coram  
literatis (quod aliquoties factum circa ſcriptiones noſtrorū ut Wa-  
læi, Amesijj, Gomari, Godeſridi Sopingii, Twiſſi, Aboti, & nuper  
circa

circa dissertationem de Termino Vitæ ) idioticos suos coccysmos sermone vernaculo apud Idiotas totius certaminis & accepte cladis ignaros protrudant , ut saltem in aliquorum applausu & lingua , imprimis γλωσσού , viverat vigeatque aliqua Societas Remonstranto-Sociniana . Et præstitit hoc nuperrimè quidam ex corte illâ Semi-paganus aut Semi-idiotus , qui in appendice libelli in me a liosque Christianæ & orthodoxæ religionis hyperaspistas latrantis , Cl. Vedelio opponit has peremptorias scil. rationes . 1. exemplum Ninivitarum 2. Rachab Hebr. 11. 31. cum Iacob 2. 25. 3. Pauli ante conversionem 2 Timoth. 1. 3. 4. Iudæorum Rom. 10. 2. Unde concludit , posse verum Dei timorem esse penes illos , Qui Christum mediatorem & tres personas deitatis non agnoscunt . Solutionem istorum aliorumque , si que sunt , argumentorum in ipsam disputationem D. Respondenti nostro reservamus ; & obnoxie rogamus ad versarios , si qui hic sunt , ut aut ipsi per se aut saltem per discipulos suos argumenta illa , quantum possunt urgeant . Quod autem addit anonymous Remonstrantium patronus multos probos Christianos sententiam illam D. Vedelii non amplexuros mibi non sit verisimile . Nisi per Christianos intelligat crassos Pelagianos , Socinianos , Libertinos . Christiani omnes qui in Iudæos scripserunt & inter eos imprimis ex Iudæis conversi , qui optimè pietatem illorum exploratam habebant , uno ore perfidiam , apostasiam , blasphemiam , impietatem illis attribuunt . Omnes etiam sive Pontificij , sive Reformati & Euangelici Augustanæ confessionis , ut Gentilibus extra fidem Christi , ita & Iudæis cum Mahumeditis veram pietatem negant , in loco communi , de Bonis operibus . Instar omnium videatur Melanthon , loco de Bonis operibus , & Hemmingius Disputatione de veri cultus divini ratione , (thesi 1. 3. 23. 25. 26.) quæ subjecta est ipsius Pastori Euangelico . Horum autoritatem forte pluris facient adversarij , quia ad eos non raro provocant . Ne autem calumnientur , nos bonum , quod suo ordine & gradu tale est , quamvis non sufficiens ad salutem , facere malum , applicent hue juniores distinctionem illam quæ adhiberi solet in controversia de Virtutibus Gentilium . Effe aliquem actum materialiter

rialiter, objectivè & obstractè consideratum, bonum, qui tamen formaliter subjectivè & concretè, huic aut illi homini est malum quid, quia ipse malus bonum illud non facit bene: hinc dicitur adverbia salvare & damnare. Actus cognoscendi Deum vel credendi esse Deum bonus est, sed ut est in diabolo, seu ut elicitur à diabolo non est bonus; saltem quod in se & simpliciter bonum, in se, in idea atque abstractè consideratū est bonum, quippe donū Dei; sed tamen per accidens malitiæ subjecti quia bonū illud non promoverunt ulterius, nec excoluerunt, nec applicuerunt debitè, illis factum est malum, & lumen illud versum est ipsis in tenebras Rom. 1. 21. 28. 29. Eph. 2. 12. 13. quomodo medicamentū alicui malū est, quia cedit in morbi exasperationem. Idem statuendum de Iudeis. Tit. 1. 14. 15. 16. sive accuratè custodiāt & multū legāt scripturā V. T. sive Deū patrū (ut præ se ferūt) invocent & glorificant, sive ab his aut ab illis malis abstineant (nominatim ab iconolatriâ) sive eleemosynas erogent, sive jejunia à vesperā usque ad vespere celebrent (ut testis est R. Iuda de Modena c. 26.) sive quacunque alia ratione instar Atheniensium (Actor. 17. 22.) δεισιδαιμονεύεται ostendant, omnia tamen sunt abominatione Iehovæ. Ut olim opera majorum absque fide & resipiscientia præstita Ies. 1. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & cap. 66. 3. Quamvis enim se Deum nosse profiteantur (Tit. 1. 16.) factis tamen abnegant, & cum purant se religiosos esse proprium suum cor decipiunt, & religio ipsorum vana est, ut hoc applicem Iacob. 1. 26.

## VII.

Hactenus de Iudeis ecclesiastice consideratis: nunc paucis agendum de eorundem statu politico. Sunt ergo 1. ex posteris Israelitarum (admixtis pauculis ex Christianismo apostatis & proselytis) ex διδεναφυλω scil. ut observavimus in Disputat. de Conversione Iudeorum. 2. Confusa est ipsorum genealogia, ita ut de distinctione tribuum & familiarum nihil certi constet, fatente R. Iuda de Modena cap. 8. Quidquid contra garriant subinde de posteris Davidis. 3. Plerunque sunt ingenio satis acri, ad disciplinas artes,

artes, linguas addiscendas idoneo; ad praxin Medicinæ, ad pragmatica & politica non inepti, si quis operâ eorum utatur, quod apud Turcas, Persas, reges Africanos non insolens. 4. *Temperamentum* corporis eorum sic satis vêteatum, & valetudo firma, ad quam non parum facit diæta quam vulgaribus Christianis exactius obseruant. A morbis tamen communibus ut e. gr. variolis, erysipelate, peste &c. immunes non sunt. Lepra inter ipsos non ita frequens est. Sed frequentissimus morbus caducus, quem *hamophel*, & *tippah* indigent. Numerant etiam 63. morbos fellis (fides sit penes eorum medicinam), quos omnes frustulo panis & vi ni hausto mane a sumpto sanari posse credunt, Buxdorf. p. 183: 5. Peculiaris ipsis est color, gilvus scil., quo cunque sub climate habitent; quo, ut & oculis suis inter alios homines facile discernuntur. Hinc apud Belgas vulgo *geel-ooghen* / Iudeos appellant. Colori adde & alterum *idemque* Iudaicum gravem scil. odorem, quem epigram. 4. lib. 4. tangit Martialis: *Quod jejunia Sabbatariorum.* Et Fortunatus lib. 5. carm. epist. ad Gregor.

*Abluitur Iudeus odor baptimate divo  
Et nova progenies redditâ surgit aquis.*

Loquitur de quingentis Iudeis ab Avito baptizatis. Et apud Ammianum Marcellin. lib. 2. Marcus Imperator Iudeos vocat *fætentes*. Ex recentioribus quidam ajunt fœtorem illis solere tribui, sic Ramirez de Prado; alij confidenter id affirmant, ut Raderus ad locum Martialis, Et Mayolus tom. 3. dierum canicularium, & Cato Saccus in epist. Fr. Philelphi lib. 5. epist. 1. Alij quamvis negent se compertum habere an omnes foeteant, ad cibum & potum minus exquisitum, ejusque malam concoctionem, & inde orum feculentum sudorem referunt, ut Philephus epist. cit. Sed ex universalis & perpetua experientia amplius de hoc odore inquirendum. Citat Raderus Gretserum de Cracelib. 1. c. 98. Sed nunc ad manum non est. 6. Magnus ipsorum numerus est in Europa, Asia, Africa. In Imperio Turcico vix oppidum, (teste Bellonio)

aut pagus est, in quo non plurimi Iudei agant: atque iij fere variarum  
linguarum periti, quod magno usui est exteris. Habitent in Imperio  
Persico & sub regibus Africanis quam plurimi, in Tartarico &  
Russico non pauci, inter Christianos in Germania scil. Bohemia,  
Polonia, Belgio foederato &c. quotidie multiplicantur:  
& hoc mirum quod corpus illud gentis attritum saepius, tantum  
non excisum, in immensum ita excreverit. 7. Nusquam Rempu-  
blicam aliquam aut speciem ejus constituant, sed sub aliena pote-  
state degunt: Nam quod alicubi per nimiam indulgentiam Prin-  
cipum, forte & aulicorum φιλαργυρων ac δωροφαγων subinde pri-  
vatim legibus quibusdam suis adhuc utantur, easque etiam mul-  
ctis & penitis exhibitis executioni mandent, (de quibus Buxdorf.  
cap. 34.) id ipsum Rempublicam eorum ecclesiasticam & politi-  
cam non restituit, sed manet nihilominus domus eorum deserta.  
Et certe nunquam major aut melior fuit occasio terram suam repe-  
tendi & templum instaurandi quam sub Iuliano Apostata, sed co-  
natus eorum Deus mirabiliter impedit. Vid. Sozomen, lib. 5. c.  
21. & Socrat. lib. 3. c. 17. 8. Satis duriter pressi cladi bus, tu-  
multuationibus, expilationibus & direptionibus proscriptionibus,  
adeo ut status eorum sit captivitatis & servitutis. Quod ipsi fa-  
tentur cum vulgo supputant annos exilio aut captivitatis suæ; &  
exsertis verbis illud Hos. 3. 4. hic applicat R. David Kimchi in  
commentar. Atque hi sunt dies exilio, in quo hodie sumus, nec regem  
habemus, nec principem ex Israël. In potestate si quis dem gentium sumus  
& in potestate regum ac principum earum. Don Abrabaniel caput  
Iesa, 53. Iudeis suis applicat in expositione seu potius detorsione  
sua; quos multa à Muhammedanis & Christianis pati conqueritur  
v. 9. & omnium hominum miserrimos facit. Vide commentar.  
ejus à Cl. L'Empereur editum p. 69. usque 131. Quin libri pre-  
cum passim resonant hæc & similia: Respice afflictionem nostram  
&c. redime nos cito &c. Confer Buxdorfi synagog. p. 234. 235.  
Et clamat experientia. Memorabiles inter alias sunt clades quas  
aceperunt sub Vespasiano & Tito, de quibus Fl. Iosephus; sub  
Trajano anno 114. in Aegypto, & Cypro & anno 115. in Mesopo-  
tamia

tamiā. *Xiphilin & Ruffin. lib. 4.* Sub Severo anno 202. *Euseb. lib. 6. c. 6.* Sub Hadriano diversis prœliis trucidati sunt circiter quingenta & octoginta millia: præterquam quod eorum, qui fame, morbis & igni perierunt, multitudo fuerit innumerabilis. *Hieron.* Sub Gallo Cæsare anno 352. *Cedren.* Et sub Iustiniano anno 529. *Cedren.* & Eboraci in Anglia anno 1190, die 16. Martij, similesq; lanienæ minores. Proscriptiones, exilia, captivitates notamus nunc istas, sub Vespianiano & Tito, cum 97000. in captivitatem abducti, alij bestiis objecti, alij ad metalli-fodinas damnati, alij venundati, & ad vilissima ministeria retrusi, infinita multitudo ex Iudæa per varias gentes dispersa: Sub Hadriano, cum Iudæi patria pulsi & prohibiti per leges Imperatoris, adeo ut non licuerit eam ingredi, immo ne de excelsiore quidem prospectu eminus saltem paternum solum prophanis obtutibus inspicere, ut loquitur Ruffinus histor. lib. 4. c. 6. Nisi quod postea temporis certo pretio impetrârint ab Imperatoribus ut liceret semel quotannis 10. Augusti Hierosolymam ingredi, ejusque casum & ruinam ut & templi ac totius gentis deflere, idque factum astantibus militibus ad certam horam, & si plus flere vellent, plus pecuniae exigentibus. *Calvis. in chronolog. ex Hieronymo.* Alexandriæ pelluntur anno 414. & Cæsareæ Palestinae anno 556. Socrates lib. 7. 13. Sozomen. lib. 4. cap. 6. In Gallia anno 1180, capiuntur & omni auro spoliantur, quod dicentur quotannis circa Pascha Christianum aliquem jugulare. In Anglia anno 1210. rex omnes pecunias iis aufert. In Gallia anno 1306. capti, facultatibus exuti, secunda vice inde pelluntur. Ibidem anno 1315. denuo admissi, spoliantur, & anno 1395. plane ejiciuntur: ut & ex Anglia 1290. ex Hispania anno 916. & 638. & 1492. (cum migrarunt plus quam ducenta familiarum millia) Ex Lusitania anno 1496. Ex Germania 1392. Moguntiæ, aliisque quam plurimis civitatibus Germaniæ anno 1282. Sæpe etiam tumultu populari aut militari vita & facultates eorum in magno periculo versantur sub imperio Turcico, imprimis Constantinop. &c.

Concedatur. *Ad Iudaicas fabulas refer, que Benjaminus Tudensis in Itinerario & ex eo R. Isaac Arama in Genes. 49. & Recentissimus scripto*

scriptor R. Menasse Ben Jfras in Conciliatore in Genes. quæst. 65.  
cum Abravanel, Aben Ezra, Guedaliah Iahia ibid. citat. nugantur  
de principibus seminis Davidis quibus in Perside, & Principi Davidico,  
cui in Bagged tantus honor habeatur, quique tam latè imperet Israelite-  
tam cœtibus; adhac de supremo senatu, tribunalibus, seu decem curijs  
ibidem: denique de regnis utopicis Israclitarum in Nisbor, & in civi-  
tate Thanai ad septentrionem Mesopotamie, deque civitaibus muni-  
tis, & bellis quo cum omnibus regnis & remotis regionibus ibi gerunt.

Quæ restant de cognatis & oppositis Iudaismi, una cum consi-  
lio de ipsorum conversione altera parte hujus Disp. exhibebimus.

---

## Corollaria Respondentis.

### I.

**D**octrina de aeternâ Dei prædestinatione, quamvis quod ad  
id dicitur imprimis mysterium sit, in verâ tamen Dei Ecclesia a-  
liena esse non debet, quandoquidem maximè facit ad piorum Con-  
solationem.

### II.

Statuere quod fides prævisa aeternam Dei electionem præcedat,  
nihil aliud est quam purus putus Pelagianismus.

### III.

Fœdus seu Testamentum, atque adeo via salutis per fidem Chri-  
sti, fidelium ante adventum Christi, non differt essentialiter à no-  
strâ.

### IV.

Christus legem moralem seu Caritatis non mutavit aut novis præ-  
ceptis perfecit.

F I N I S.